

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Zaringo Badensis

Schöpflin, Johann Daniel


Carolsruhae, 1765

CXIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295118)

quis autem hoc attemptare præsumperit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Lugduni VII. Kalendas Novembris Pontificatus Nostri Anno Tertio.



CXIX.

CONRADI V. EPISCOPI SPIRENSIS LAUDUM INTER HERMANNUM VI. MARCHIONEM BADENSEM ET MONASTERIUM OMNIUM SANCTORUM IN NIGRA SILVA.

ANNO MCCXLVI.

Ex tabulario nobilium de Schauenberg.

Cunradus Dei gratia Spirensis Episcopus & Bertholdus eadem gratia ejusdem Ecclesie prepositus vniverfis presens scriptum intuentibus notitiam subscriptorum que geruntur in tempore ne labantur cum tempore bene literarum apicibus testimonio & figillis solent roborari. Noverit igitur presens etas & futura posteritas, quod cum causa que vertebatur

D d 2

inter prepositum & conventum Ecclesie omnium Sanctorum in nigra filva Argentinensis diecesis ex una parte, & *Hermannum nobilem virum Marchionem de Baden* ex altera, aliquamdiu fuisset ventilata, tandem in nos ab utraque parte fuit compromissum, quare nos inspectis ipsius Ecclesie privilegiis super possessionibus ac proprietate ac etiam libertate, super quibus lis vertebatur, a nobilibus ducissa videlicet de Scowenpurg & patre nostro Eberhardo de Eberstein pie recordationis, nec non etiam privilegiis & confirmationibus illustrissimorum imperatorum, Henrici videlicet & Friderici, ac etiam Regis Philippi prelibate Ecclesie collatis, nihil juris jam dictum Marchionem in advocatia & hominibus pertinentibus ad Ecclesiam Nufsbach vel etiam in dote nec non in hominibus, que prelibata ducissa ac pater noster ante dicte Ecclesie contulerunt, invenimus habere, unde nos prudentum usi consilio virorum, inter ipsos taliter composuimus, quod Ecclesia omne dampnum, quod a prelibato Marchione consecuta fuerat, in rebus propriis & in hominibus Ecclesie quatenus etiam in expensis gravibus faciendis quod Ecclesia estimabat plus quam ad centum libras, nec non etiam injectionem manuum, quam in prepositum & alios canonicos ejusdem Ecclesie remitteretur, ea conditione, quod de cetero sepe dictus Marchio sive sui heredes antedictam Ecclesiam in prelibatis possessionibus & hominibus, nec non omnibus injuriis non presumant molestare. Ut autem hec robor firmitatis obtineant in perpetuum, presentem paginam nostris & Domini Marchionis Sigillis duximus communiri. Acta sunt hec apud *Stolhoven* anno Domini millesimo ducentesimo quadagesimo sexto, undecimo Kalend. Aprilis. Testes autem huic facto intererant Eberhardus & Otto fratres nostri de Eberstein, Godefridus de Vehingen, & Gode-

fridus de Calwe Comites. *Hermannus filius Marchionis*, Magister Michael & Magister Hermannus Porten. Spirensis, Magister Bertoldus Canonicus majoris Ecclesie in Wurmacia, Burcardus miles de Reder & alii quam plures.

(~~.....~~)

CXX.

HERMANNI ET RUDOLFI FRATRUM, MARCHIONUM
BADENSIIUM, CHARTA DE FEODO IN
EICHSTATT.

ANNO MCCXLVIII.

Ex Cod. Urstif. Mspt.

EGO HERMANNUS & RUDOLFUS frater meus, *Marchiones de Baden*, notum facimus universis, quod nos feodum in *Eistat*, quod habebant à nobis R. & B. fratres de Ufenberc, Hesson filio Domini B. de Ufenberc defuncti, concedimus & transmittimus jure feudali possidendum. Datum in *Mulenberc* Anno Domini MCCXLVIII. Indictione I. nonis Aprilis.

=====
D d 3